

statuatur unum criterium viro philosopho esse evidentiam. Hinc est cur rationalistæ penè omnes Cartesium salutent parentem suum, necnon rationis humanæ liberatorem.

323. *De naturâ dubitationis cartesianæ.* — Catholici quidam philosophi recentes, ut methodum Cartesii a tot erroribus ac periculis purgatam facerent, opinati sunt ejus dubitationem vel non *universalem*, vel non *realem* fuisse, sed *fictitiam* duntaxat.

Verùm hæc interpretatio benignior quàm verior videtur. Nam 1° dubitatio universalis in operibus Cartesii *expressè* inculcatur, eò quòd nullo modo constat de veracitate facultatum nostrarum, nihilque probat non illudi nos a Genio potente quodam et maligno. — 2° Si fictitiè tantùm dubitavit Cartesius, cur in tuto, extra dubium reponi voluit religionis dogmata? Sanè dubium fictitium omnibus veritatibus christianis applicari potest, teste D. Thomâ cum aliis cunctis theologis. — 3° Si fictitia tantùm fuit hæc dubitatio, vix quidquam *novi* mundo intulit; nec jam est cur Cartesius prædicetur novæ methodi auctor, et liberator rationis humanæ?

At duo pro *certis* haberi debent, nimirum 1° Cartesium, an fictitiè tantùm dubitaverit, *obscurè* admodum significavisse; 2° dubium ejus universale, etiamsi merè fictitium credatur, non minùs inutile esse ad condendam sinceram philosophandi methodum.

ARTICULUS II

Dubium particulare est terminus a quo initium sumere debet methodus philosophandi.

324. *Dubii particularis necessitas.* Initio homo cognoscit quidem veritates primitivas; sed illæ sunt numero paucissimæ. Aliæ omnes vel nos omnino latent, vel confusæ nobis occurrunt, vel in disputationem aut controversiam veniunt, vel præjudiciis ac passionibus obscurantur. Quamobrem methodus philosophandi non potest non incipere a dubio particulari.

325. *Hujus dubii utilitas.* Hoc dubium 1° scientiam *dirigit*, dum ei præfinit *materiam* in quam suas vertere debeat investigationes. Hinc D. Thomas: « Qui volunt inquirere veritatem, non considerando priùs dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quò vadunt. » (*Metaph.*, III, 1). 2° Dubium angit ac proinde mentem *incitat* ut quærat avidiùs veritatem et acriùs instet labori, donec eam invenerit. Quare D. Thomas connexionem arctam esse notat inter *progressum* scientiæ et dubiorum naturam. « Illi qui priùs philosophati sunt et qui nunc philosophantur, a principio admirabantur dubitabilia pauciora, quæ magis erant in promptu, ut eorum causæ cognoscerentur; postea, ex cognitione manifestorum ad cognitionum occultorum paulatim procedentes, inceperunt dubitare de majoribus et occultioribus » (in I *Metaph.* lect. 3°).

326. *Hujus dubii limites.* Fas non est, ut patet, illud extendere ad veritates revelatas; sed neque ad ipsam vim potentialiarum animi, neque ad res sensui manifestas, aut ad prima principia. Qui enim de his vellet dubitare, non tantùm insipientem ageret, sed nec haberet unde eriperet sese ab universalis scepticismi abyssu, cum dubia nulla solvi possint, si omnia sint dubia; dubium enim aliter non excutitur, quàm ope alicujus veritatis certæ ac perspicuæ. — Itaque ipsa experientia testis est plures eorum qui omnia ad *liberum*, ut aiunt, *examen* revocant, in scepticismum et *nihilismum* brevi declinare.

CAPUT II

DE VIA IN METHODO SERVANDA, SIVE DE PROCESSU TENENDO EX TERMINO A QUO AD TERMINUM AD QUEM

Præstat 1° expendere leges generales methodi ab omnibus admissas; 2° referre speciales methodos a diversis philosophis propositas; 3° eligere veriozem.

ARTICULUS I

De legibus generalibus methodi.

327. Sex leges in methodo servandæ sunt, quarum aliæ ad *essentiam*, aliæ verò ad *perfectionem* ejus requiruntur.

Lex 1^a jubet ut a notis ad ignota, seu a notioribus ad minus nota procedatur.

In initio inquisitionis, quædam pro certis sumi debent; siquidem, ex dictis, methodus originem non ducit a dubitatione universali. Atqui hæc alia esse nequeunt nisi quædam veritates *primitivæ* tum empiricæ, tum rationales, ex se *perspicuæ*, et ante omnia nobis agnitæ. — Quòd si tamen sermo esset non jam de initio nostræ cognitionis ac de scientiâ *primâ*, sed de scientiis *secundariis*, tanquam principia usurpari possent veritates non ex se evidentes, sed alibi demonstratæ. Ita porrò fit in multis scientiis, et præsertim in mathematicis.

Lex 2^a jubet ut, declarato primùm statu quæstionis, hæc in tot partes dividatur quot reipsa continet, ut seorsùm expendi valeant.

Lex 3^a jubet ut removeantur quæ vel quæstioni sunt aliena, vel ad ipsius solutionem non faciunt.

Lex 4^a jubet ut in disputationis decursu, aut consequentiarum serie, nulla enunciatio obrepat, quæ cum prioribus non connectatur.

Lex 5^a jubet ut gradatim processus inquisitionis ordinetur, scilicet quæque conclusio ab eo principio deducatur, a quo immediatè promanat. Positis igitur primùm universalioribus principiis, ab iis deduci debent conclusiones minùs generales, et ex iis iterum conclusiones specialiores, donec deveniatur ad maximè particularia et ad elementa ultima quæstionis.

Lex 6^a jubet ut postquam singulæ partes singulatim examini subjectæ fuerunt, iterum in unum contextantur atque ad

totum revocentur, ope synthesis, ut totum ipsum meliùs cognoscatur ac videatur quis sit cujusque partis locus in toto.

ARTICULUS II

Recensentur speciales methodi a diversis philosophis propositæ ad veritatis inventionem.

328. Secernere præstat methodum *inventionis*, quâ veritatem ipsi assequimur, a methodo *doctrinæ*, quâ veritatem ab aliis ope magisterii accipimus.

§ I. — Exponuntur opiniones circa methodum inventionis.

329. Tres *præcipuæ* methodi a philosophis propositæ sunt ad inventionem veritatis, nimirum methodus empirica, empirico-rationalis et eclecticica (1).

330. *Exponitur methodus empirica* (2).

Methodus empirica ab iis propugnatur, qui contendunt ab experientiâ *sold omnes* cognitiones nostras oriri. Duplici componitur elemento, sensatione nimirum et inductione. Sensatio versatur circa phænomena et res individuas; deinceps, inductionis ope, attribuitur cunctis individuis alicujus speciei, quod in quibusdam eorum observatum est; inde notionem universalem et leges rerum enascuntur.

Hæc methodus omnibus omnium temporum materialistis ac sensualistis arrisit; et hodieum iis quoque arridet qui sese *positivistas* nominant; ita Auguste Comte, Taine, Littré, Stuart Mill, Spencer et Buchner.

331. *Exponitur methodus empirico-rationalis, sive analytico-syntheticica.*

Hæc methodus, quam post Aristotelem, S. Augustinum, S. Thomam scholastici tenent, docet principia prima scien-

(1) In præsentiarum omittimus methodum idealisticam, ontologicam et auctoritativam, quas opportuniùs in Ideologia exponemus et refellemus, ubi de ideis innatis, de ontologismo et traditionalismo.

(2) Cf. *Histoire de la Philos.*, 3^e part., c. 3, n. 1.

tiarum partim a sensibus et experientiâ, partim a ratione accipi.

Dicitur 1° empirico-rationalis, quia tum experientiæ (externæ simul et internæ), tum rationi suas partes facit.

Juxta illius fautores, triplici velut momento ab homine acquiritur scientia: 1. *præcedit cognitio sensuum*, quæ circa phænomena et res singulares occupatur; 2. ope *abstractionis*, intellectus considerat rerum naturam, independentem ab individuis ipsis; natura autem rerum abstractè considerata, universalis est, ac proinde locum dat primis principiis tum metaphysici, tum moralis ordinis. — At principia ordinis physici propriè hauriuntur ab inductione; quæ quod observatum est in pluribus individuis, attribuit omnibus individuis ejusdem speciei sicque colligit leges naturæ. — 3. Demum, ubi intellectus principiis et legibus certis potitur, ex iis, ope syllogismi, diversas elicit conclusiones.

Quocirca, observatio varia facta quasi *materiam* præbet. Ex factis, comparationis, abstractionis vel inductionis ope, ratio quædam trahit principia quæ, certa velut lumina, factorum *interpretationem* præbent. Ea porro *virtute*, non *actu* scientiam constituunt, cum sint numero pauciora. Tum verò propriè scientia efflorescit, cum ratio, ex principiis educit innumeras prope quas continent conclusiones, quæque humanam cognitionem miris dilatant modis.

Dicitur 2° analytico-synthetica, eò quòd tum analysi, tum synthesisi utitur, initiumque ab analysi ducit, ut perficiatur synthesisi.

1. *Analysis* in universum sumpta definiri potest *operatio quâ procedimus ex effectibus vel consequentiis ad causam vel principium*. Quia verò effectus (et idem dixeris de consequentiis relativè ad earum principia) sunt magis *complexi* ac magis *particulares* quàm causa, analysis dicitur adhuc procedere *ex composito ad simplex, ex singulari ad universale*. E. g. *psychologus* ascendit ex effectibus ad potentias, ex potentiis ad essentiam animæ. — Geometer ex ultimis elementis questionis datæ, ascendit ad ejus proximum antecedens, ex eo ad antecedens superius, et sic ex alio ad

aliud, donec deveniat ad principium ipsum quæsitum. — Chemicus procedit ex aliquo *composito*, v. g. aquâ, ad *elementa* ejus constitutiva, v. g. hydrogenium et oxygenium, quæ *logicè* ante ipsum existunt, siquidem illud *generant*, cum sint ejus principia.

2. *Synthesis* contra, est *operatio quâ ex causâ vel principio ad effectus vel consequentias descendimus*. Quia verò causa (et idem dixeris de principio relativè ad ejus consequentias) est *simplicior et universalior* suis effectibus, synthesis dicitur adhuc procedere *ex simplici ad compositum, ex universali ad singulare*. V. g. *psychologus* ex essentiâ animæ ad ejus potentias, ex potentiis ad earum operationes descendit; *geometer* ex principio semel cognito descendit ad omnes consequentias et ad elementa ultima questionis propositæ; *chemicus* ex *elementis* constitutivis, v. g. hydrogenio et oxygenio, ad *compositum* ipsum, v. g. ad aquam generandam.

3. Itaque analysis et synthesis *idem* peragunt iter, sed ratione *inversâ*. Synthesis sequitur ordinem *naturæ*, in quo principium ante consequentias, causa ante effectus existit. Analysis sequitur ordinem *cognitionis*, in quo nobis prius occurrunt effectus quàm causa, consequentia quàm antecedens. — Analysis, ut notat Arnauld, *ex valle* (effectuum) ad *montem* (causarum et principiorum) ascendit; synthesis ex monte (eorumdem principiorum et causarum) ad vallem effectuum descendit.

Quarè analysis est essentialiter *inductiva*, et synthesis *deductiva* (1). Itaque alteri altera debet adjungi, ut habeatur

(1) Unde Newton: « Methodus analytica est experimenta capere, phænomena observare, indeque conclusiones generales inductione inferre... synthetica est causas investigatas et comprobatas affirmare pro principiis, eorumque ope explicare phænomena ex iis orta, istaque explicatione comprobare. » (*Optice*, l. III, *Observ.* II).

Errant igitur qui, ut Condillac, analysim *absolutè* vocant methodum *dissolutionis*, et synthesim, methodum *compositionis*. Si enim in chimia et anatomia habetur per analysim vera dissolutio partium, non autem in geometria, in qua nulla occurrit divisio. — Eandem ob causam, non omnis synthesis dici potest *compositio*. — Econtra, nostra definitio convenit analysi et synthesisi, in quacumque scientia utraque adhibeatur.

methodus omnino completa et scientifica, scilicet causa *probetur* ex suo effectu, et effectus *explicetur* ex suâ causâ.

332. *Exponitur methodus eclecticica.*

Methodus eclecticica nomen trahit ab *eligendo*; nam ejus patroni sentiunt nullam aliam nobis superesse viam, nisi ut examinatis aliis aliorum philosophorum opinionibus, earum aut *singula*, aut saltem *opportuniore* elementa colligamus. — Hanc porrò methodum, quam schola Neoplatonica olim propugnauerat, recens acri studio tuitus est Cousin; quo docente, varia systemata frustra se invicem impugnant, cum singula *necessaria* sint, nec *falsa*, sed tantum *incompleta*. Error enim completus cadere nequit in mentem hominis; at illud errorem vocant quod veritatem incompletam exhibet. Ut ergo habeatur veritas completa, systemata philosophorum singula *simul* accipienda sunt, ut perficiatur altero quod in altero desideratur. — Attamen respui debet quod exaggeratum est in singulis, ut singula accipiantur non quatenus se *excludunt*, sed quatenus se *complent*. V. g., sensualistæ dicunt nihil esse nisi sensationes, idealistæ nihil nisi ideas; dicendum est ergo tum a sensatione, tum ab ideis plurimas oriri veritates, quæ simul admitti debent.

§ II. — Referuntur opiniones de methodo doctrinæ.

Dicendum est primùm quid sit *docere* et deinde quænam sint philosophorum opiniones de aptiori methodo in tradendâ doctrinâ.

333. I. Nobis arridet *docendi* notio quam probat S. Thomas, juxta quem docere « est causare scientiam in alio, operatione rationis naturalis illius. » (Qq. disp. de Verit., q. XI de Magistro, a. 1, q. 1).

Dicitur 1° *causare scientiam in alio*, id est *rationalem* cognitionem, non quidem primorum principiorum, sed potiùs diversarum conclusionum. Discipulus enim, ope logicæ *naturalis* principia prima sponte suâ, *confusè* saltem, cognoscit, non autem cognoscit varias conclusiones quæ ex iis inferri possunt; ergo a magistro juvandus est ut et illorum vim

magis exactè agnoscat, et viam sciat quâ ex illis istæ valent educi.

Dicitur 2° *operatione rationis naturalis illius*; quia ars docendi non propriè in eo consistit, ut discipulus magistro credat, sed ut naturali suâ ratione *intelligat* quæ audit et doctrinæ traditæ *activè* respondeat, illamque proprio labore faciat suam. Quod nisi præstiterit, *historicam* tantum habebit cognitionem, et impar erit ad novas conclusiones propriâ ratione deinde inveniendas. — Itaque magister est causa *instrumentalis*, discipulus autem causa *principalis*, quia is scientiam non *accipere* debet *formatam*, sed *formandam*, alio juvante, suscipere.

334. II. Porrò circa methodum aptiorem ad scientiam aliis tradendam, triplex est philosophorum opinio. Alii solam *synthesim* adhiberi volunt; alii *analysim* quidem et *synthesim*, modo tamen *synthesis* *analisi* præcedat; alii demum varias scientias doceri oportere existimant eadem methodo quâ inventæ fuerunt.

ARTICULUS III

Rejiciuntur falsæ methodi veraque probatur.

335. PROP. 1^a: *Rejicienda est methodus empirica.*

1° *Adversatur naturæ hominis*, quia nihil ferè considerat in eo nisi sensationem, et intellectui partes propè nullas facit, utpote objectum et activitatem ejus in solo sensilium ordine coarctat. Atqui, ut monet D. Thomas, « *lumen intellectûs est principalis causa scientiæ* » (S. Th., 1^a, q. 117, a. 1, ad 2), et ille ad considerata suprasensibilia naturali fertur impetu.

2° *Non respondet præcipuo scientiæ muneri*. Scientia enim, ut infra ostendetur, propriè consistit in cognitione *causæ* seu *rationis rerum*, et tantò est perfectior quantò pleniùs rerum naturam et causas, imò suprema principia declarat, quia tunc planè rerum explicationem exhibet. Atqui methodus empirica non ascendit ultra *phænomena* et eorum *conditiones* seu

leges, se continet in analysi, abstrahit generatim ab essentialium et causarum speculatione, et speciatim a principiis et rationibus supremis, maximè verò a causâ primâ, cujus ne nomen quidem in scientiâ patitur. Ergo præcipuam negligit scientiæ partem et mancâ exhibet explicationem rerum. *Leges* autem in quibus est tota, ostendunt quidem quibus in conditionibus soleant phænomena produci, sed ne illorum quidem *rationem* seu *causam* declarant.

3° *Obstat scientiarum etiam naturalium progressui*; nam illæ, ut sapienter notat Cl. Bernard, non tam per *molem factorum* additorum proficiunt quàm per *lumen ideæ*, quæ factorum cognitorum *explicationem*, et ignotorum *anticipationem* præsefert. — Scientia igitur, ut ars ipsa, non est *perscriptio*, sed potius *interpretatio naturæ*.

336. PROP. 2^a: *Rejicienda est methodus eclectica, ad mentem V. Cousin.*

1° *Falso ininitur fundamento*; sive cùm veritatem *incompletam* ab errore non secernit, sive cùm *singula systemata* tam multas continere veritates asserit, ut uno ex iis sublato, philosophia in periculo sit. At contra, veritas incompleta non plenitudinem quidem rei, partem tamen illius eamque sinceram exhibet, nec aliam partem excludit, dum error vel excludit aliquid veri, vel inducit aliquid falsi. — Ex aliâ parte, licèt, monente D. Thomâ, « non sit aliqua doctrina quæ non contineat aliquam veritatem » (*in 1^{am} ad Timoth.*, c. 2. lect. 2), tamen multa sunt systemata, v. g., materialismus et scepticismus et alia, quæ multò plures errores quàm veritates continent, et in quibus nihil fere veri colligi possit. Quare in iis quærere *particulas boni*, plus affert laboris, quàm utilitatis.

2° *Est periculosa*; nam periculosum est homines parùm cautos, præsertim juvenes, temerariæ sæpe novitatis amatores, nec principiis satis armatos, aut ad secernendum verum a falso satis exercitatos, ad omnia passim aggredienda systemata inducere. Possent enim, ut accidere sæpe ipsa testis est experientia, vel hæerere incerti quid eligant quidve recusent, vel etiam in multos gravesque errores incautè incidere.

3° *Vel est absurda, vel contra satis antiqua et usu vulgaris*; absurda quidem, si ut eam tenent Scherer et Renan, profiteatur ridiculum hoc *syncretismi* genus, quo omnes æquè accipiuntur opiniones, quantumvis contrariæ, et eodem singulæ pretio habentur; antiqua autem et usu vulgaris, si hoc tantùm sibi velit quòd in unoquoque philosophorum systemate accipi debeat quiquid verius continet, demptis falsis quæ illi insunt. Jam enim nihil docet, quod non certâ lege secuti fuerint in omni ævo plures philosophi. Quippe Aristoteles, S. Thomas aliique nostri doctores methodum illam tenuerunt; imò Clemens Alexandrinus illam *explicitè* describit: « Philosophiam autem, non dico Stoicam, aut Platoniam, « aut Epicuream et Aristotelicam, sed quæcumque ab his « sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum piâ scientiâ, hoc totum *selectum* dico philosophiam. » (*Strom.*, l. I, c. IX).

At hoc etiam sensu accepta, tradi nequit veluti methodus *primitiva*; siquidem methodum aliam præsupponit. Quippe nobis non licet ex diversis oppositisque systematibus alia eligere tanquam vera, alia ceu falsa repudiare, nisi prius aliquod *criterium*, aliquam *normam* habeamus ad verum inveniendum et a falso secernendum.

4° *Muneri scientiæ non respondet*; ad hoc enim directè tendit, ut scientiæ *historiam* et *actualement* statum declaret. Porrò methodus scientifica in eo sese continere non debet; sed cuique indicare insuper viam quâ veritatem per se ipsum investiget (1), *novas* inveniat conclusiones, et, si per ingenium licuerit, dilatet campum decessoribus suis cognitum.

337. PROP. 3^a: *Vera est methodus empirico-rationalis.*

1° *Est completa*; nihil enim in rebus omittit, nec particulares earum proprietates, nec essentialia rationes, nec modum quo priores cum posterioribus connectuntur, aut a causis defluunt phænomena.

(1) « Potius de rebus ipsis judicare debemus, quàm pro magno habere de hominibus, quid quisque senserit, scire. » (S. Augustinus, *De civit. Dei*, l. XIX, c. 3).

2^o Respondet naturæ hominis; homo enim ex sensibus et ratione coalescit; ergo in cognitione veri, tum sensibus, tum rationi suæ partes concedi debent, ita tamen ut prior sit sensuum, posterior autem rationis cognitio. Atqui methodus empirico-rationalis hunc ordinem sectatur, ut supra diximus.

3^o Respondet naturæ scientiæ. — Pleræque scientiæ analysim et synthesim simul expostulant, ita tamen ut analysis præcedat synthesi. Porrò hanc viam sectatur methodus empirico-rationalis (1).

Probatur major, ex eò quòd ad scientiam duo requiruntur, nimirum notitia principiorum et conclusionum illatio. At principia observatione, abstractione vel inductione, id est analysi cognoscimus, dum conclusiones ex principiis erui- mus, ope synthesis. Si autem principia supponuntur a conclusionibus, analysis synthesi debet præcedere.

Minor ex notione ipsâ methodi empirico-rationalis apertè colligitur. Illa namque ex singularibus et effectibus ad universalialia et causas ascendit, et ex universalibus causisque cognitis, ad singularia et phænomena, viâ deductionis, descendit.

338. PROP. 4^a : Eadem est doctrinæ atque inventionis methodus (2).

Probatur quia ex dictis n. 333, magister in discipulo scientiam causat, in quantum intelligendam ei proponit eandem argumentationem, ac proin ei ostendit eandem viam quâ ipse verum adinvenit. Jam enim, ut ita dicam, interest discipulus ipsi inventioni, eamque secum tacitus cogitando iterum facit. — Hinc etiam non tantum accipit inventa, sed artem ipsam discit inveniendi.

(1) Clarè D. Thomas : « Ad cognitionem compositorum primò opus est viâ resolutionis, ut sc. dividamus compositum usque ad individua. Postmodum verò necessaria est viâ compositionis, ut ex principiis indivisibilibus jam notis dijudicemus de rebus quæ ex principiis causantur. » (In 1. Politicor., l. 1, c. v, lect. 1).

(2) Cf. S. Thom., Qq. disp. de Veritate; q. XI, de Magistro, et opus nostrum : La Vie et l'Hérédité, 2^e part., c. 5, a. 2.

339. Corollarium 1^{um}. Errant igitur qui absolutè affirmant synthesim analysi semper debere præcedere.

At errant etiam qui solam synthesim adhiberi volunt inter docendum. Nam scientiam planè non assequitur qui quamvis sciat quomodo conclusiones eruantur ex principiis, ignorat tamen vim principiorum, ex quibus omnino pendent. Atqui analysis, non synthesis ope, ut plurimum, principia cognoscimus; et eorum vis certiùs ac plenius affulget, si cognoscamus etiam quomodo inventa fuerint. Quemadmodum ad plenioram scientiam naturæ habendam, cognoscere oportet observationes vel experimenta quibus variæ leges inventæ sunt.

Nec dicatur futurum fore ex nostrâ sententiâ ut methodus doctrinæ non minùs ardua et longa evadat quàm ipsa methodus inventionis. At facilis est responsio. Licèt enim magister discipulo proponat eadem argumenta quibus veritatem invenit, non tamen eum incedere sinit per vias diversas quas ipse tentandas habuit. Sed contrà, declinando ab iis quæ vel a fine avertunt, vel ducunt per longiora itinera, illum ad veritatem rectè perducit.

340. Coroll. 2^{um}. Si doctrinæ methodus inventionis methodo respondere debet, concludendum est non unam tantum esse docendi methodum, sed duplicem, scilicet modò analyticam, modò syntheticam, prout scientia quæ tradenda suscipitur, per analysim vel per synthesim inventa est. — Hinc est cur scientiæ naturales analyticè generatim doceri soleant, scilicet per observationes, experimenta et inductionem, dum contra mathesis et philosophia syntheticè potiùs docentur, id est per deductionem aut syllogismum.